

I N D E X C O L L O Q U I O R U M

Quæ continentur in hoc Secundo Tomo.

C O L L O Q U I A

In Historiam Ecclesiasticam V. Sæculi.

C O L L O Q U I U M I.

- D**E statu Ecclesiæ in quinto sæculo sub Imperatoribus Christianis. Pag. 2
 COLL. II. De Hæresibus, quæ Ecclesiam in quinto sæculo infestarunt, ejusque sinum lacerarunt. 10
 COLL. III. In quo exhibetur series Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo præcipuas Sedes occuparunt. 19
 COLL. IV. De Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, & de variis Factionibus, in quas distracti sunt Episcopi Catholici. 28
 COLL. V. De Viris illustribus, qui eruditione & pietate Ecclesiæ in quinto sæculo multum splendoris contulerunt. 38
 COLL. VI. De Doctrina, Disciplina, & Morali quinti Ecclesiæ sæculi. 61

C O L L O Q U I A

In Historiam Ecclesiasticam VI. Sæculi.

- COLLOQ. I. **D**E statu Ecclesiæ in sexto sæculo sub Imperatoribus & Regibus Christianis. 60
 COLL. II. De Controversiis, Hæresibus, & de causa trium Capitulorum, quæ in sexto sæculo afflixit Ecclesiam. 67
 COLL. III. De Conciliis in sexto Ecclesiæ sæculo celebratis, & de rebus quæ in his gesta sunt. 75
 COLL. IV. De successione Episcoporum, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam occuparunt. 84
 COLL. V. De Viris illustribus, qui sexto Ecclesiæ sæculo doctrina, & pietate claruerunt. 92
 COLL. VI. De Doctrina, Disciplina, & Morali Christiana sexti Ecclesiæ sæculi. 100

HISTO-



H I S T O R I A

E C C L E S I A S T I C A

V. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.



Historiam, & Disciplinam quinti Ecclesiæ sæculi sex Colloquiis explanabimus. Primum erit de statu Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis. Alterum, de Hæresibus, quæ quinto sæculo emerferunt & Ecclesiæ sinum lacerarunt. Tertium exhibebit seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes eodem sæculo tenuerunt. Quartum erit de Conciliis, quæ ad extirpandas Hæreses variis in locis fuerunt celebrata, & de nonnullis Factionibus, in quas distracti fuere quidam Catholici Episcopi. Quintum erit de Viris Illustribus, qui perdoctis Operibus quintum Ecclesiæ sæculum illustrarunt. Postremum explicabit Doctrinam, Moralem, & Disciplinam, quæ eodem sæculo quinto fuit observata.

Graves. Hist. Tom. II.

A

COL-

COLLOQUIUM

PRIMUM.

De statu Ecclesie in quinto seculo sub Imperatoribus Christianis.

D.  Ecclesiam sub optimo, & religiosissimo Imperatore Theodosio Magno summa pace potitam, planeque Idololatriam fuisse extinctam, meministi te dixisse sub finem Colloquii primi in Historiam quarti Ecclesie sæculi: nunc

qualis fuerit status Ecclesie sub aliis Imperatoribus, qui, post Theodosium Magnum, Imperium cum Orientis, tum Occidentis rexerunt, scire desidero.

M. Mortuo Imperatore Theodosio sub Consulatu *Olybrii*, & *Prohini*, hoc est, anno Christi cccxcv. ante diem vi. Kalendas Februarias, filii ejus *Arcadius*, & *Honorius* Romani Imperii administrationem suscepere, & *Arcadius* quidem Orientis, *Honorius* vero Occidentis Principatum obtinuit. *Arcadius*, & *Honorius* juvenili, & inexpertæ ætati, simulque & Imperio prospiciens *Theodosius Magnus*, duos, antequam moreretur, selegerat Duces prudentia & auctoritate conspicuos, quorum ductu, & consiliis utrumque regeretur Imperium, *Rufinum*, qui rebus Orientis, & *Stiliconem*, qui Occidentis rebus præset. Sed inter *Rufinum*, hominem in Aquitania humili genere natum, & *Stiliconem* genere Vandalum utriusque Imperii administrum gravis exarsit invidia, magnaque fuit dissensio, quæ, ut mox dicemus, gravissimorum malorum tam in Oriente, quam in Occidente causa, & origo fuit. *Arcadius* statim post obitum *Theodosii* patris sui *Eudoxiam* duxit uxorem, conciliante has nuptias *Eutropio* Eunuchio in odium *Rufini* æmuli sui, qui filiam suam *Arcadio* destinabat, ut Imperio, cui inhiabat, sublato Genero, potiretur. Varias leges sanctissimas adversus tumultuantes Hæreticos emisit *Arcadius*, fuitque Optimus Princeps, mansuetus, pacis, & religionis amans, sed infelix. Tutor siquidem *Rufinus* Principi, pupilloque infidus *Alaricum* Gothorum Ducem adivit, ut arma verteret in *Arcadium*, ejusque Imperium laceraret. Sed ut occultum fœdus, pravumque, quod animo volebat, consilium ad optatum exitum facilius perducere posset *Rufinus*, Græciæ Proconsulem sibi fidum designavit, & *Thermophylarum* angustias custodiendas viro iridem sibi addicto tradidit, ut eas ambo Barbaris advenientibus cederent. His fretus *Alaricus*, quasi jam victoriæ securus, e Thracia discessit, in Macedoniam, Thessaliamque progressus est interjectis omnibus exilio datis, ut scribit *Zosimus* lib. 5. ubi etiam narrat mala, quæ egit *Alaricus* in Bæotia, Attica, Megaride, Pe-

loponneso, & in reliqua Græcia. Verum spe sua delusus est *Alaricus*, quippe qui a *Gaina* homine bellicoso, quem *Stilico* Honorii fratris *Arcadii* Tutor cum valido Exercitu in Orientem misit, repulsus; victus, ac debellatus est, statimque a militibus, juxta mandatum *Stiliconis*, *Rufinus* trucidatus dignas admittis facinoribus pœnas luit. Ejus corpus ad ludibrium membratim discerptum est, caput præfixum pilo, manus ita composita, ut pecuniam laxatis, aut contractis nervis recipere videretur. *Zosimus* citatus aserit, *Eutropium* Eunuchum *Stiliconi* addictissimum, qui post *Rufini* eadem maxima apud *Arcadium* auctoritate pollebat, bonorum *Rufini* potissimam partem sibi vindicasse. Sed cum *Eutropius* Consulatu simul, & Patriciatus ornatus, immensa, præcipitque ambitione Imperium aucuparetur, omnibus dignitatibus exutus fuit die XII. Kal. Febr. an. cccxcix. & e fastis, ac monumentis publicis abrafâ ejus memoria, in *Cyprum* Insulam ipse relegatus, & non multo post inde abductus, capite multatus est, ut testes sunt *Philostorgius* lib. 11. cap. 6. *Zosimus* lib. 5. aliique Scriptores. Supplicio quoque affecti sunt *Gildo*, qui sibi Africam usurpaverat, & *Gainas*, quem Imperium affestantem, & *Arcadio* Imperatori struentem insidias *Fravita* Gothus quidem, sed fidei præstitæ *Arcadio* observantissimus conferto prælio prostravit. Qua victoria meruit *Fravita* Consulatum anno cccci. Obiit *Arcadius* Imperator Byzantii anno ccccv. ætatis suæ 30. Imperii post patrem 13. Reliquit moriens filium suum *Theodosium* juniorem annos octo natum Imperii hæredem, illiusque Tutorem testamento instituit *Isidigerdem* Persarum Regem, eum enixe rogans, ut ad Imperium *Theodosio* asserendum potentiam suam omnem, providentiamque conferret, quod revera magnanimo animo executus est *Isidigerdes* mittens *Antiochum* virum moribus egregium, & eximie eruditionis, qui pueri Principis curam haberet, ipseque, quandiu vixit, Romanos pace beavit altissima, & Imperium *Theodosio* juniore conservavit.

D. Fuit ne tranquillius Occidentis Imperium sub *Honorio* fratre *Arcadii*?

M. Res Occidentis pessimo loco erant, atque fœdissima Imperii facies sub *Honorio* Principe negligente, ignavo, & a re bellica prorsus alieno, eademque infaustam sortem nactus est *Honorius* in Occidente, quæ *Arcadio* ejus fratri contigit in Oriente. Nam sicut perfidus *Rufinus* Tutor *Arcadii* excitavit *Alaricum* Gothorum Regem, ut arma in *Arcadium* verteret; ita ambitiosus *Stilico* Tutor

Tutor *Honorii*, & cui duas filias, *Mariam*, & *Thermantiam*, quas e *Serena* uxore sua suscepit, in matrimonium dederat, eundem *Alaricum*, quem anno ccccl. ad Pollentiam, quæ Civitas est in Liguria, devicerat, stimulavit ad pugnandum contra *Honorium*. Sed *Alaricus* perfidiam detestatus ingenti prælio Romanas acies profligavit, totam fere devastavit Italiam, & Urbem Romam anno cccclx. ut multis argumentis evincit *Cl. Pagius* in sua Critica ad annum cccclx. armis cepit, in prædam dedit, omnia pene ædificia incendit, & quasi torrens violentus solo æquavit, exceptis tamen Ecclesiis, quibus ille barbarus pepercit. *Attalum* Urbis Romæ Præfectum creavit Imperatorem, quem mox purpura, & Imperio exiit. Post captam Romam *Alaricus* in Siciliam transire volens, navibus tempestate disjectis, morbo perit, eique successit *Athaulphus* qui Romam regressus, eam miserum in modum depopulatus est, indeque *Gallam Placidiam* Honorii Imperatoris sororem abductam ad Forum *Cornelii*, seu *Imolam*, duxit uxorem. Re ad *Honorium* pro veritate delata, jussit e vestigio Imperator, proditorem *Stiliconem* ejusque filium *Eucheriam* paganum, & apertum Christianæ Religionis hostem, una cum *Serena* hujus matre, & *Stiliconis* conjuge occidi. Eodem anno quo Roma ab *Alarico* capta, ac direpta est, *Alani*, *Vandali*, & *Suevi* Hispanias occuparunt, qui jam anno cccclvi. eodem promovente *Stilicone*, in Gallias irruentes, funestis cladibus eas cruentarant, quas *S. Hieronymus* Epist. xi. ad *Ageruchiam* viduam expressit his verbis: *Innumerae, & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæorum est, quod Oceano, & Rheno includitur, Quados, Vandalos, Sarmatas, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & o lugenda Respublica, hostes Pannonii vastaverunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacum nobilis quondam Civitas capta, atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Rhenorum Urbis præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornaces, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitanie, Novemque Populorum, Lugdunensis, & Narbonensis Provincie, præter paucas Urbes, populata sunt cuncta. Idem *S. Doctor* in Epistola ad *Heliodorum* de ejusmodi Barbarorum in Gallias incurSIONibus loquens, Matronas nobiles, & Virgines Dei ludibrio habitas, Episcopos captos, Presbyteros, & Clericos interfectos, Ecclesias everfas, equos ad Altaria stabulatos, Martyrum effossas reliquias, & alia similia commemorat, quibus Romanus Orbis ante Urbis Romæ excidium fuerat obrutus. Eadem calamitates, quibus id temporis afflicta est Gallia, *Salvianus* Presbyter *Massiliensis*, qui & ipse rebus præsentibus aderat, eleganter describit in lib. 6. de *Gubernatione Dei*. Si nomina eorum, qui in hac Barbarorum in Gallias irruptione Martyrium passi sunt, scire aveas, lege Commentarium Historicum de Persecutionis Vandalicæ ortu, progressu, & fine, quem do-*

ctissimus *P. Theodoricus Ruinart* Monachus *Benedictinus* attextit ad Historiam persecutionis Vandalicæ quinque libris descriptam a *Victore Vitenfi*. Gothi etiam anno 412. Rege *Athaulpho* *Alarici* successore, in Gallias irruerunt, ac multas calamitates in eas intulerunt, quas *Cardinalis Baronius* ex *Prospero* in Prologo libri de *Providentia*, & ex *Paulino* in *Carmine* *Eucharistico* accurate refert, & explicat. Verum *Athaulphus* Gothorum Rex a *Patricio Constantio* viro strenuo pressus, ut relicta *Narbona* quam occupabat, *Hispanias* peteret, per quemdam Gothum apud *Barcinonam* inter familiares fabulas jugulatus fuit, sicut ait *Idacius* in *Chronico*. *Athaulpho* successit *Wallia*, qui pacem cum Romanis pepigit, *Attalum*, quem *Alaricus* Imperatorem creaverat, *Honorio* Imperatori tradidit, eidem *Gallam Placidiam* ejus sororem ab *Athaulpho* Gothorum Rege sibi connubio junctam reddidit, & ut cum Romanis firmius percuteret fœdus, suscepit bellum adversus *Alanos* in *Lusitania*, & *Vandalos* *Silingos* in *Bætica* pollicitus Romanæ securitati periculum suum contra omnes Barbaros, qui *Hispaniam* invaserant, ut sibi pugnaret, Romanis vinceret. *Honorius* Imperator, pace inita cum Gothis, *Attalum*, quem *Alaricus*, capta Roma, Imperatorem instituerat, in triumphum, revinctis post terga manibus, tractum, dexteraque abscissa, *Liparam* relegavit, *Placidiam* vero sororem suam *Constantio* matrimonio copulavit anno cccclvi. Hic ille *Constantius* est, qui *Athaulphum* Gothorum Regem *Narbona*, ut jam diximus, expulit, qui tyrannos *Gratianum* in *Britannia*, & *Constantinum* in *Gallia* profligavit, quique ob res præclare gestas consors imperii factus est anno cccclxi. Sed *Constantius* Imperium dumtaxat degustavit, mortuus quippe est eodem anno, & imperavit menses circiter septem. *Constantino* tyranno in *Galliis* oppresso, ut jam dixi, a *Constantino*, tyrannidem arripuit *Constantius* filius *Constantini*. Sed non melior fuit *Constantius* conditio. Hunc enim *Gerontius* *Viennæ* in *Galliis* interemit, in cujus locum substitutus est *Maximus*: at, cum paulo post *Gerontius* fuisset quoque a militibus occisus, purpura exutus *Maximus*, & ab Exercitu desertus in *Hispaniam* se recepit, ibique exulans obiit. Præter illos devictos tyrannos, *Jovinus* in *Galliis*, ejusque frater *Sebastianus*, qui Imperatores fuerant acclamati, confestim deleti sunt. Sublatus pariter est a *Marino* Duce *Honorii* *Heracianus* *Africæ* Tyrannus, qui cum innumera classe ex *Provincia* solverat versus *Italiam*, ut eam omnino devastaret. Hic ille est *Heracianus*, qui *Stiliconem* *Ravennæ* ad *Ecclesiam* confugientem ex *Honorii* Imperatoris mandato occidit, & eo facto *Africam* *Provinciam* cum comitiva promeritus fuerat, ut scribit *Zosimus*. His tandem superatis Tyrannis *Honorius* curru triumphali vectus Romam ingressus est, pacemque *Italiæ* reddidit. Sed paulo post Gothi *Galliam* iterum infestantibus concessere Romanis, ut habitarent loca, quæ a *Tolosa* ad *Oceanum* usque interjacent. Mortuus est *Honorius* Ra-

venæ atque intercutis morbo anno ccccxviii. ætatis suæ 39. Imperii 18. de Catholica Religione bene meritus est, & Hæreticos, præcipue Manichæos, Donatistas, & Pelagianos sanctissimis, ac severissimis coercuit legibus. Sed sororem suam Placidiam, ex quo Constantius maritus ejus vita decesserat, perdit nimis amando Honorius, & os ejus assidue deosculando, turpis apud multos consuetudinis suspicionem non effugit. Hic tamen amor in tantum brevi versus est odium, frequentibus jurgiis obfirmatum, ut Honorius Placidiam cum filiis suis in Orientem ablegaverit paulo antequam moreretur. (a)

„ (a) Ad Chronologiam exactius designandam juvat hic nonnulla excerpere e vetustissimo Calendario, quod e Cuspiniani Codice acceptum luci publicæ dederunt Bellandiani socii tom. 1. supplem. ad Junium mensum.

„ *Constantino & Rufo Coss.* (an. 457.) *Ricimer magister militum patricius factus est pridie Kal. Martias, & factus est Majoranus Magister militum ipso die. Et levatus est Dom. Majoranus Kal. Apr. in milliario in campo ad Columellas.*

„ *Severino & Dagalaifo* (an. 461.) *deposuit est Majoranus a Patricio Ricimere Dertona IV. non. Aug. & occisus est ad fluvium Ira VII. Idus Aug. & levatus est Imperator Dom. Sev. XIII. Kal. Decembris.*

„ *Hermenerico & Basilio Coss.* (an. 465.) *defunctus est Imperator Severus Romæ XVIII. Kal. Septemb.*

„ *Prisco & Joanne Coss.* (an. 467.) *levatus est Dom. Anthemius Romæ pridie Idus Aprilis.*

„ *Festo & Marciano Coss.* (an. 472.) *bellum civile inceptum est Romæ inter Anthemium Imperatorem & Ricimere Patricio. Et levatus est Imperator Olybrius Romæ, & occisus est Imperator Anthemius V. Idus Julias. Et defunctus est Ricimer XV. Kal. Septemb. Eo anno Gundobadus Patricius factus est ab Olybrio Imperatore, Et defunctus est Imperator Olybrius Romæ X. Kal. nov.*

„ *Leone Augusto V.* (an. 473.) *levatus est Imperator Glycerius Ravenna, III. Non. Martias.*

„ *Dom. Leone juniore Augusto* (an. 474.) *... de imperio Glycerius in portu urbis Romæ. Eo anno levatus est Dom. Julius Nepos VIII. Kal. Julias.*

„ *P. C. Leonis jun. Aug.* (an. 475.) *introivit Ravennam Patricius Orestes cum exercitu, & fugavit Imp. Nepos ad Dalmatias V. Kal. Septemb.*

„ *Eo anno Augustulus Imperator levatus est Ravenna a Patricio Oreste patre suo pridie Kal. Nov.*

„ *Basilio II. & Armato* (an. 476.) *levatus est Odoacer Rex X. Kal. Septemb. Eo anno occisus est Orestes Patricius Placentia V. Kal. Septemb. Eo anno occisus Paulus frater ejus Ravenna in Pinnata pridie Nonas Sept.*

„ *Admonuisse juvat chronicon hoc absolvi cum anno 493.*

„ *D. Recense, quæso, eadem serie Imperatores, qui in quinto Ecclesiæ sæculo post Arcadium summa rerum in Oriente potiti sunt, & deinde progrediemur ad Imperatores Occidentis, ut nomina, & gesta illorum Imperatorum facilius memoriam mandare possim.*

M. Theodosius junior, seu II. Arcadii, & Eudoxiæ filius, a patre jam creatus Augustus imperavit in Oriente, vivente adhuc Honorio patre suo Imperatore Occidentis. Sed mortuo Honorio anno ccccxviii. solus totum Imperium Romanum obtinuit. Acceperat a patre suo Arcadio, ut jam diximus, in tutorem Idigerdem Persarum Regem; Imperium tamen consiliis *Anthemii* Præfecti Prætorio viri id temporis prudentissimi administravit. A *Pulcheria* sorore sua, quæ virginitatem Deo consecraverat, a tenera ætate institutus, tantum in virtute, ac pietate profecit, ut brevi tempore evaserit religiosissimus Princeps, mansuetus, orationi, & sacrorum librorum lectioni addictus, laborumque patientissimus. Anno ætatis suæ vigesimo Theodosius *Athenaidem* Leonii Atheniensis Philosophi filiam de consilio sororis suæ *Pulcheriæ* uxorem duxit, quam ab Attico Episcopo Constantinopolitano Baptismo initiatam nuncupavit *Eudoxiam*, quæ scemina fuit elegantis corporis specie prædita, & in omni doctrinæ, & eloquentiæ genere exercitata. Ex ea Theodosius suscepit filiam dictam *Eudoxiam*, quæ postea *Valentiniano III.* Imperatori Occidentis nupsit. Leges sanctissimas tulit Theodosius contra Gentiles, Judæos, & Hæreticos. Concilium Generale Ephesinum, annuente *Cælestino I.* Romano Pontifice, convocavit. Rem litterariam promovit. Viros eruditos fovit. Episcopos, & Sacerdotes summopere coluit. Diem Dominicam, Festosque dies Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Apostolorum sædanti, ac violari vetuit. Spectaculorum voluptate, aliasque saluberrimas leges promulgavit, quæ continentur in Codice, cujus editionem Clarissimis Jurisconsultis demandavit, quique ejus nomine *Codex Theodosianus* etiamnum appellatur. *Valentinianum* consobrinum suum Cæsarem & Augustum elegit, atque Occidentis partibus præfecit. Adversus *Joannem*, qui, mortuo Honorio Occidentis Imperatore, tyrannidem arripuerat, misit *Ardaburium*, qui tempestate actus Ravennam pulsus est, & in Tyranni manus pervenit. Sed *Aspar* filius *Ardabarii*, per insigne Dei miraculum introductis Ravennam copiis, Tyrannum oppressit, ac patrem liberavit. Bellum contra Persas per *Ardaburium* feliciter gessit Theodosius, sed ab *Attila* Hunnorum Rege Thraciam, & Illyricum vastante innumeris damnis affectus annuo tributo pacem emere coactus est. Tandem obiit Theodosius junior Constantinopoli, sive ex morbo, sive ex lapsu ab Equo, die vigesima octava mensis Julii anni ccccl. ætatis suæ 48. Imperii ab obitu Honorii 27.

D. Quis Imperio Orientis successit Theodosio juniore, quem filiam dumtaxat ex *Eudoxia* conjugæ sua suscepisse narrasti?

M. Mortuo Theodosio juniore, *Pulcheria* ejus soror, & Imperatoris *Arcadii* filia, conjugium suum, Imperiumque *Flavio Valerio Marciano* humili loco in Thracia nato, sed militia clarissimo obtulit, ea tamen lege ut pudicitia ejus vim non inferret, sed castam vivere pateret. Annuit *Marcianus*, & Orientis Imperator salutaris est

est anno ecccl. Pacem & justitiam impense coluit, Christianis favit. Hæreticos acerrime infestatus est, deditque operam, ut ad proscribendam grassantem Eutythianorum Hæresim Concilium Chalcedonense celebraretur. Tandem, cum ad bellum adversus Vandalos sese præpararet, obiit Constantinopoli die septima mensis Februarii anni cccclvi. anno ætatis suæ 65. Imperii circiter 7.

Post mortem Marciani ad Imperium evectus est *Leo* Thrax genere anno cccclviii. Princeps clementia, ac pietate inclitus, cui a Deipara fertur promissum Imperium ob charitatis officium, quod præstitit erga cæcum, cui visum etiam illius ministerio restituit *B. Virgo*, sicut testatur *Nicephorus* lib. 19. Hist. Eccl. cap. 15. Uxorem duxit *Leo* Augustus *Berina*, seu *Verina* sororem *Basilisci* Patritii Constantinopolitani, ex qua suscepit *Ariadnam*, & *Leontiam*. Genericum Vandalorum Regem per *Marcellinum*, & *Heracium* Duces suos non semel fudit, Barbaroque Sardinia expulit. Numerosissimam, potentissimamque classem adversus Vandalos Africam instantes anno cccclxviii. instruxit, cui *Basiliscum* Verinæ Augustæ fratrem præfecit. Sed *Basiliscus* a *Genérico*, ut creditum est, pretio corruptus, turpissime navali prælio victus est, totamque fere classem amisit: anno tamen sequenti *Leo* Augustus, ut tantum dedecus Romano nomini inultum dilueret, cum Vandalis iterum confligit, eosque ita gloriose devicit, ut *Genericus* illorum Rex cum Romanis pacem inire coactus fuerit. Multas sacras Edes, & inter alias Ecclesiam *Deiparæ ad Fontem* dictam construxit *Leo* Augustus. Fidem, & Synodum Chalcedonensem contra Hæreticos Eutythianos acerrime tuitus est, Catholicos Episcopos coluit, & leges sua pietate dignas tulit. Demum anno cccclxxiv. morbo correptus Byzantii vita discessit anno Imperii sui decimo septimo, & *Leonem* filium *Zenonis* & *Ariadnæ*, quem obitui proximus Cæsarem reuunciavit, Imperatorem reliquit. Sed *Leo* junior ægra valetudine vexatus decem tantum menses cum *Zenone* patre suo Imperium obtinuit, & anno ætatis suæ 17. extinctus est, patrique suo *Zenoni* Imperium reliquit.

Zeno itaque cognomento *Isauricus*, quod ex *Isauris* Ciliciæ ignobili genere oriundus esset, a filio suo *Leone* juniore Imperator factus regnare cœpit in Oriente anno cccclxxiv. homo turpis facie, sed moribus turpior. Ab ipso Imperii sui exordio illecebris cupiditatem ita sese totum dedit, ut nihil esset tam turpe & illicitum, quod impetum ejus cohiberet, ut ait *Evagrius* lib. 3. cap. 1. quod *Theophanes*, & *Zonaras* confirmant, adduntque, eo imperante, subditos gravissima mala esse perpeffos. *Basiliscus* Patricius Constantinopolitanus a *Verina* sorore sua *Leonis* senioris Augusti vidua instigatus, pulso *Zenone*, Imperium sibi usurpavit, sed cum *Basiliscus* nihilo meliorem *Zenone* se gereret, & Hæreticis Eutythianis aperte patrocinaretur, ab iisdem, a quibus fuerat acclamatus, *Zeno* re-

Græves. Hist. Tom. II.

vocatus est, Tyrannum *Basiliscum* devicit. *Zeno* restitutus Imperio promulgavit anno cccclxxxii. *Henoticon*, seu unitivum Edictum, quo sub specioso obtentu conciliandæ unitatis, Eutythianos citra suorum errorum ejurationem in Catholicam Ecclesiam suscipiendos esse præcepit. Denique, postquam imperasset annos 17. menses tres, obiit Byzantii anno cccclxci. ex fraude *Ariadnæ* uxoris suæ, quæ, cum vidisset *Zenonem* maritum suum ex immodica crapula prolapsum, justit in sepulchrum deportari, ubi cum *Zeno* edormisset crapulam, excitatus quidem est, & clamores edidit, sed *Ariadna* vetuit de industria referari sepulchrum, quare ibidem *Zeno* devoratis sibi lacertis, & caligis misere periit.

D. Necdum plane intelligo quid sibi velit istud *Henoticon* *Zenonis* Imperatoris.

M. *Henoticon* *Zenonis* nihil aliud est, quam unitivum Edictum, quod ille Imperator, suadente, vel dictante *Acacio* Constantinopolitano Episcopo, promulgavit, & ad *Egyptiacæ* Dioceseos Antistites, Monachos, Plebemque Christianam direxit animo conciliandæ pacis, & procurandæ Ecclesiarum unitatis. In hoc Edicto non aliud Symbolum admittendum decernit *Zeno*, quam *Nicænum*. Approbat duodecim S. *Cyrilli* Capitula, seu Anathematismos, *Nestorium*, *Eutythetem* damnat Anathemate, sed de *Dioscuro* filiet, ne *Alexandrinis* offenderet. Synodum Chalcedonensem, & Fidei defensionem in hac Synodo editam, necnon Epistolam S. *Leonis* Papæ ad *Flavianum* alto silentio premit, imo damnate audent hanc Sanctam Synodum, si exposita in suo Edicto fidei contraria sit. Hujusmodi *Zenonis* Edictum, cum fidei causæ haud parum noceret, & Eutythianis animos adderet, fuit ab omnibus Catholicis rejectum; tum quia non spectat ad Principes laicos quidquam decernere de fide, tum quia etiam Imperator *Zeno* definitionem fidei factam a Synodo Generali Chalcedonensi, & Epistolam S. *Leonis* ad *Flavianum* summo totius Synodi consensu receptam silentio premit, in tempestiva œconomia plus æquo favebat Eutythianis, qui illas execrabantur. Quocirca, sicut *Eusebium* Imperatoris *Heraclii*, ut dicemus in Colloquiis septimi sæculi, & *Typum* Constantis Imperatoris optimo jure rejecit Ecclesia ob suppressas duarum operationum voces, quibus Monothelitarum Hæresis jugulabatur, ita & *Henoticon* *Zenonis* Imp. explisit Ecclesia ob suppressam Concilii Generalis Chalcedonensis, & Epistolæ S. *Leonis* memoriam, obrutasque istas silentio voces ex duabus, & in duabus naturis, quibus prostrata jacebat Eutythiana Hæresis. Hinc, licet Ecclesia pacis semper amans quadam œconomia usa sit erga *Zenonem* Imperatorem, quamdiu vixit, nec ejus Edictum diserte damnaverit, ne ipsius animum exacerbarer, & graviora inde mala, & Schismata orirentur, quæ sanare, ac compescere difficile admodum fuisset, at tamen, postquam mortuus est *Zeno* Imperator, & pax Orientalem Ecclesiam inter & Latinam inita est sub *Hormisdæ* Pontificatu, & Imperio *Justini* senioris, nomen *Zenonis* Imperatoris summo totius Ecclesiæ consensu ex sacris Diptychis expunctum est.

A 3

D. Quem